

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1190

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

CODICES
pium eius curae committam fecerunt
tst, fatetur, id, quod ex fine, mox memorandi patet.



CODICES
HIEROGRAPPHICI.

bei Gentilotti, Cod. theol.

50

Codex membraneus lat. in confinio Sec. VIII. et IX. scriptus, nunc Folior. 292. f. max. per tres columnas caractere sat minuto exaratus, librorum initiis litera quadrata, subin ruditer coloribus illita designatis, nequaquam totus, ut *Lam-Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.*

I. VIII. 16
becio visum, ruinosus continet *Sacra Biblia V. et N. T. ex interpretatione vulgata*, sumtu et studio *Radonis S. Vedasti Atrebatensis* ab an. DCCXCV. ad an. DCCCXV. *Abbatis* ad hoc procurata, ut iactura, quam ex hostili incendio et direptione coenobium

bium ejus curae commissum fecerat, farciretur, id, quod ex fine

Carminis ab *Alcuino* praefixi et mox memorandi patet:

*Codicibus sacris hostili clade perustis
Et Radon fervens hoc reparavit opus.*

Initium Codicis mutili est ab iis verbis *Homiliae X. B. Gregorii Papae* habitae ad populum in basilica sancti Petri Apostoli in die Epiphaniae: *celestis desiderium redolere valeamus*. Legitur integra *T. I. Opp. Paris. MDCCV. col. 1468. f.* Homiliam excipit *Lectionarium* Feriae quintae in Coena Domini, diei Parasceves, & Sabbati sancti, tum *Omelia habitata ad populum in Basilica sanctae Mariae die sancto Paschae*, quae rursus *Gregorii* est, incipit: *Multis vobis lectionibus fratres karissimi &c.* et habetur *T. supracit. col. 1524.* Sequuntur *Isaiae Caput XII. ex C. XXXVIII. Canticum Ezechiae. Ex Reg. I. c. 2. Canticum Annae. Ex Exodi XV. Canticum Moysis* usque ad ea verba: *submersi sunt quasi plumbum*. Atque hinc statim incipit *Psalterium* idque a *Psalmi CII. v. 18. Et iustitia illius in filios filiorum &c.* Unde patet Codicem etiam hac parte confusionem et imminutionem passum fuisse. Nam, ubi a praedicto *Psalmi CII. versu ad Psalmum CL. de-*

curreris, invenies *Psalium* illum apocryphum: *Puillus eram inter fratres meos &c.* quem habes in *J. Alb. Fabricii Cod. Pseudepigr. V. T. p. 905.* atque ab hoc demum *Psalterium* exorditur, et ad memoratum usque *versum* pertingit. Compactoris itaque vitium vides. Est vero totum *Psalterium* litera nitida, attamen longe minutiore, quam reliquae Bibliorum partes, exaratum. *Fol. 16.* haec ipsa inchoant a gemino *Alcuini* carmine, quod primus publicavit *Lambecius Comment. L. II. p. 403. Kollarius* in *T. I. Analector. col. 617.* transtulit adjecta totius Codicis diagnosi *Genitotiana*, *Celsii*. denique *Frobenius Alcuini Opp. T. II. Ratisb. 1777. p. 205.* repraesentavit. Titulus est litera quadrata: *In Capite Bibliothecae ab Alcuino editi*; ubi dubio procul subaudiendum est: *Versus*, sacris Bibliis phrasi Hieronymiana *Bibliotheca* adpellatis. *Carmen I. Hexametris 18. seriem divinorum Librorum* percurrens incipit:

In hoc quinque libri retinentur codice Moysis &c.

Plura in eo menda commiserat Librarius noster, quae partim in codice nunc erasa, partim in editione emendata sunt; *versu* tamen 10. melius legit *jamque*,

ubi typi Ratisbonenses namque offerunt. *Carmen II. elegiacum* est 102. distichis constans, eandemque pertractans materiem hoc initio:

*Dum primus pulchro fuerat homo pulsus ab horto
In hanc pro miseram morte dolore diem &c.*

Etiam hic dormitavit subinde librarius, et editoribus emendandi occasionem dedit; sunt tamen quaedam, ubi cum priore legere malis. Disticho 15. *Hic te non Hicce.* Dist. 20. *ab orbe non ab ore.* Dist. 33. *Aegypti haec non Aegypti de.* Dist. 34. *super aequora non per aequora.* Dist. 67. *pro Josia non pro Josua.* Dist. 77. *veniente die non veniente deo.* Dist. 96. *scire mendum Codicis est, reponendumque sciri.* Carminibus succedit *Prologus* quidam in formam Crucis scriptus, et de tota Bibliorum oeconomia tractans hoc initio: *In Christi Nomine. Uetus testamentum ideo dicitur quia ueniente nouo cessauit &c.* Tandem fol. 18. *Pentateuchus* exorditur. Ad calc. *Geneseos* legitur litera quadrata: *Explicit Liber Genesis. Incipiunt Capitula Libri Exodi.* Lemmata haec numero XXI. plurimum cum *brevibus* illis *Titulis* conveniunt, qui Libro Exodi in *Divina Hieronymi Bibliotheca* T. IX. edit. *Vallars.* col. 99. praefiguntur. Subjicitur illis: *Explicit Capitula Libri Exodi Amen Incipiunt Liber.* Inscriptiones ejusmodi et reliqui Libri habent, sed absque Capitulorum e-lenchis. Adfunt tamen in margine numeri adscripti divisiones quasdam indicantes. Ordo deinceps librorum V. T. est sequens: *Josue. Judicum. Ruth. IV. Regum. Job. Proverbia. Ecclesiastes. Cantica. Isaias. Jeremias* absque

Baruch. Ezechiel. Daniel. XII. Prophetae minores. Paralipomena. Esdrae Libri II. Esther. Sapientia. Ecclesiasticus. Tobias. Judith. II. Machabaeorum. Josue *Hieronymi* Prologum praefert. Regum quartus hoc epiphonemate clauditur: *Explicit Liber Regum IIIor Lege cum Dei gratia Posside feliciter.* Job rursus habet *Hieronymi* Prologum, uti et Proverbia, et Jeremias, Ezechiel, Daniel, in quo *Cap. ult.* versus ultimus: *Tunc Rex ait &c.* deficit, et Prophetae minores, ad quorum calcem legitur litera capitali: *Explicit Liber Prophetarum Gloria Trinitatis Amen.* *Esdrae* et *Estheri* iterum praefatur *Hieronymus*, *Esther* vero in primis C. X. verbis deficit. *Fol. 203.* columna prima tota vacat, quin tamen ex L. *Sapientiae* c. XV. quidquam desit. *Ecclesiastico* adfuta est truncata illa ex *Reg. III.* c. 8. vel *Paralip. II.* c. 6. *Oratio Salomonis. Tobias* et *Judith* Prologis suis gaudent. Posterior litera quadrata sic finit: *Explicit Liber Judit in Nomine Dei summi Incipiunt Capitula Machabeorum Lib.* Capitula isthaec numero XXIII. absunt ex editionibb. Bibliothecae divinae *Hieronymi.* Librorum novi Foederis a fol. 236. hic ordo est: *IV. Evangelia. Actus Apostolorum. Jacobi, Petri, Johannis, Judae, Pauli Epistolae. Apocalypsis.* Praecedit series Evangeliorum per annum

num in Missa legi folitorum quadrata hac Epigraphe: *Incipit Capitularis Euangeliorum de Circuli Anni Sanctae Romanae Ecclesiae. In Nomine Domini Statio ad Sanctam Mariam Majorem &c. Matthaeum praeit Hieronymi Epistola ad Damasum*, altera ejusdem Praefatio, quae incipit: *Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt &c.* usque ad verba: *ecclesiasticis uiuis canendas*, et brevis cujusdam Homiliae portio hujus initii: *Duorum in generatione Christi principia presumens &c.* His accedunt *Canones illi harmonici Evangelistarum*, quorum jam *Hieronymus in Ep. ad Damasum* meminit, quique etiam in primis Bibliorum editionibus, puta *Kobergeriana* an. MCCCCLXXVII. spectari possunt. Etiam reliqui *Evangelistae Praefationes* suas habent. *Marcus Euangelista domini &c. Lucas Syrus Antiochenis arte medicus &c. Hic est Johannes Euangelista &c.* Actus item Apostolorum: *Lucas natione Syrus, cuius laus &c.* et Epistolae Paulinae: *Primum intelligere nos oportet &c.* Huic tamen caute superscriptum est: *Incipit prologus sancti hieronimi iuxta opinionem*; non enim Hieronymum autorem habet. Singulis praeterea Epistolis brevia *argumenta* praefixa sunt. In *Evangelio Job.* c. VIII. legitur historia de Muliere adultera. *Fol. 261.* ante *Act. Apost.* per 6. columnas descripta sunt initia *Antiphonarum* in officio ecclesiastico usitatarum. Folium istud compactoris errore

huc irrepsisse videtur. Demum celebrer ille locus *I. Job.* c. 5. v. 7. et 8. sic se habet. *Prima verba: Quoniam tres sunt, qui testimonium, intacta sunt, sequentia: perbibent in terra. aqua. sanguis. et caro tres in nobis sunt,* erasa priore scriptura rescripta, ab eadem tamen manu, videntur. Subjungitur: *Et tres sunt, qui,* hisque adjecto asterisco continuatur in margine infra textum: *testimonium perbibent in caelo. pater. uerbum. et spiritus. et hi tres unum sunt.* Itaque, quod tot aliis Librariis contigit, ut, dum eadem sententiae, aut eadem voces repetendae essent, quaedam transilirent, id hic et nostro evenit. Qua de re vide, quae *Martianaeus* et *Vallarsius* in edit. *Opp. Hieronymi* et *Lud. Rogerus* in *Dissert. Paris.* 1715. 8. edita ad hunc locum congesse, plenissimeque differuit *Job. Millius* ad N. T. graecum p. 579. Codicis nostri ex *Lambecio* superscrit. meminit *Lelongius Bibl. Sacrae* T. I. p. 235.

II. VII. H. 9.

Codex membraneus lat. Sec. 687
XIII. Folior. 582. 4. S. *Bibliorum* Exemplar est minutius sed nitidissime exaratum, rubricis distinctum, Literisque initiorum picturatis et deauratis insigne. Praemittitur *Hieronimi Prologus: Frater Ambrosius mihi tua munuscula perferens &c.* Ita et reliqui *Libri Prologos* praeferunt consuetos, et ordine hodie usitato decurrunt,
nisi